

W 4
730





De
AMORE SUBDITORUM

erga

PRINCIPES

Oratio

in

Natalem Sexagesimum quartum

Serenissimi ac Celsissimi

PRINCIPIS

FRIDERICI
VVILHELMI

Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae, & Montium,
Landgravii Thuringiae, Marchionis Misniae, Comitatus dignitate
Principali Hennebergae, Comitatus in Marca & Ravenspurg,
Dynastae in Ravenstein, &c.

conscripta

&

in

publica

ACADEMIAE LIPSIENSIS

Panegyri

d. XII. Februarii. Anno 1666.

memoriter habita

WOLFG. FRIDR. THOSS. Eq. Misn.



LIPSIÆ,

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.

Jhu. M. Nimm...



* * *

Serenissime & Celsissime
PRINCEPS AC DOMINE
DN. FRIDERICE
VVILHELME

Saxoniae

Juliae, Cliviae, Montium
DUX

Landgraviae Thuringiae, Marchio Misniae: Comes dignitate
Principali Hennebergae, Comes Marcae & Ravensburg,
Dynasta Ravensteinl:

Domine longè Clementissime,

FRIDRICO SAPIENTI, stirpis Ernestinae primo surcu-
lo & Academia Wittebergensis fundatori, Litteras ab
agricola quodam missas esse ferunt, quarum inscriptio
praeter Titulum Nomenq; solitum suggererat haec ver-
ba: *Meinen genädigsten und lieben Herrn.* His vocibus perlectis ex-
clamavit gloriosiss. Elector: Malus sim, nisi hoc de Me effatum o-
mni auro omnibusq; gemmis praetulerō! Adeo aestimabat Ille
Princeps Amorem subditorum suorum, ut etiam ejus specimen in
rusticanis litteris editum cuilibet praeferet auro & gemma. Quic-
quid hic TUIS genibus, Serenissime FRIDERICE WILHELME,
DOMINE clementissime, advolvitur, non solum ex Amore Tui
subditi proficiscitur, sed agit etiam de Amore subditorum in Prin-
cipes. Cum enim in Lipsiensi Academia Festivitatem NATALIS
TUI publice celebrare constituissem, non poterat Tui amantissimo
Clienti commodior succurrere materia, quam illa de Amore sub-
ditorum. Suscipe ergo, Amabilis Princeps, hoc munusculum Natali-
tium, & concede, ut verbis Augusteis non solum Scipionis Fortitu-
dinem, & Caesaris Fortunam, sed etiam Pompeji Benevolentiam

Lipsiae
Anno 1666.
Die XII. FEBR.

Serenissimae TUAE CELSITUDINI
optet
obstrictissimus & Subjectissimus

WOLFGANGUS FRIDERICUS THOSS,



* * *

Magnifice Academiae RECTOR,

Perillustris ac Generosissime COMES LYNARIAE,

VIRI

Summè-Reverendi, Nobilissimi, Amplissimi, Consul-

tissimi, Experientissimi, Excellentissimi,

Clarissimi, Per-Eximii:

TUq;

Nobilissima, Cultissima

& ad commune decus

prognata JUVENUM caterva:



I æternum illud Musarum
delicium *Justus Lipsius*, apud ALBERTUM & ISABELLAM SERENISSIMOS BELGARUM PRINCIPES, non dubitavit ductu Senecæ differere de *Fide benevolâ Subditorum in Principes*, nemo iniquè feret, si & Ego partim studio declamandi, partim memoriâ & *Natali die SERENISSIMI DUCIS SAXONIAE FRIDERICI WILHELMI, Domini mei Clementissimi*, allectus, impræsentiarum similem ferè materiam differendi proponam. Quia enim Juvenile hoc pectus flagrat & flagraturum est Amore dicti mei PRINCIPIS ET PATRIS PATRIAE, non video quâ de re vel libentiùs vel etiam accommodatiùs *duodecimo hoc mensis Februarii die* dicere possim, quàm de *AMORE SUBDITORUM IN PRINCIPES*. Dum autem huic Proposito non ea quâ debeo sed quâ possum, non quâ volo sed quâ valeo animi contentione incumbo, & suscepti operis telam quam sub
tritici

trilici & trifidâ speculatione pertexere allabôro, (agam enim Primò de Excellentia, deinde de Commodis, tandem de Conciliatricibus Subditorum in Principes) submisit *PATRES CIVESQUE ACADEMIÆ*, oro atque obsecro, ut mihi, si non facundè & fœcundè, tamen modestè breviterque de hac Politicâ Materia loquentibus animisque favere non dedignentur.

Inter varios Affectuum motus quos Stoici expellere, Peripatetici rectius temperare docent, nullus unquam benigniora Encomia sensit, quam ille Amoris. Dum enim modò maximorum bonorum causa, modò Dea gratissima, modò Anima mundi, Magister sensuum, Saccharum temporis, periculorum Victor, Fundamentum pacis, unitatis Vinculum, Tesserâ Christianorum, & priscorum mortalium Bonum nominatur, Quis non deprehendit quam nobilis sit & laudabilis hic Affectus? at tamen longè nobilior & laudabilior (meo iudicio) dici potest, si sub moderamine & præsidio rectæ Rationis tendit in illud, quod Excellentioris est indolis & naturæ. Unde patet *Subditorum Amorem* tunc demùm in apice Excellentia positum esse, si post DEUM, Deoque auctore natam VIRTUTEM, amplexatur suum PRINCIPEM. Principem, inquam, qui est Caput Republicæ, Pastor populorum, Parens generis humani, spirans Imago divinitatis, Mens imperii & Spiritus vitalis quem tot millia trahunt. Si in Naturam hujus Amoris inquirimus, præstò nobis est magnus Belgarum Politicus, qui vocat *subditorum in Regem ejusque statum promptam Inclinationem & Benevolentiam*. Nec desunt alii, qui hunc in Imperio laudabilem utilemque de Rege & in Regem affectum vocant cū *Reinkingio* optimū obsidem Regum, cum *Imhofio* vigilantissimum Argum, cum *Lentulo* altioris fortunæ Subsidium, cum *Forstnero* Munimentum tutissimū, cum *Cyro* Sceptrū verissimum maximeque securum, cum *Senecâ* Custodiam inexpugnabilem, cum *Plinio* Arcem inaccessam & inexpugnabile Munimentum, cum *Dione* adamantinum Vinculum, & cum *Ludovico Vivète* magnum Satellitium.

Licet

Licet enim Tiberius, Caligula, Claudius, Vitellius, Caracalla & Herodes Pro-Rex Judææ, stipatores habuerit militum maxime strenuos; licet hodieq; Rex Galliarum & ipsi Pontifices Romani ob priscam fortitudinis & fidelitatis laudem Satellitia sua ex Helvetiis aliisque Germanis legant; tamen si *Claudio* prae gloriosissimo credere volumus,

Non sic Excubiæ, non circumstantia Tela,

Quam tutatur AMOR. - -

Nemo autem miretur magnificos illos Titulos, quos passim huic *Politico Amori* tribuunt scriptores, quando quidem (ut secundum nostræ Orationis membrum producamus) ex hoc Affectu propullulant Effectus & Operationes ob suam utilitatem, non solum omni præconio majores, sed & omni luce clariores. Amor quippe & Ignis tantum abest ut mysteriorum indolem habeant & recondi queant, ut potius ad leviculæ occasionis ansam sese ultrò prodant atq; aperiant. Ut jam nihil dicam de *Concordiâ*, quæ ex hoc Amore tanquam calor ab igne, frigus à glacie, & radius à suo Sole procedit: Ut nihil dicam de *Securitate Principis*, quam hujus Amoris Excubiæ promovent: Ut etiam nihil dicam de *Firmamento & Robore* quod sub huius Amoris influxu succrescit: Quis, quaeso, docuit tot *Salutationes, Acclamations & Vota* pro Cæsarum salute nuncupata? certe docuit Amor subditorum. Quis invenit pomposos illos *Principum Ingressus*? invenit Amor subditorum. Quis olim Persarum Regibus tot *Convivia*, & Parthorum Dynastis tot *Munera* exhibuit? exhibuit Amor subditorum. Quis excogitavit subtilissimas illas *Imperatorum Venerationes*? excogitavit Amor subditorum. Huic Amori quidam Auctores tantam *Patientiam* attribuerunt, ut eam, etiam qui nolent imitari, non tamen admirari desinant. Certum enim est, *Persas* jussu Regis flagellatos non dolorem, non minas, non vindictam cogitasse; sed potius decentissimas gratias egisse, certò persuasos, eorum memoriam temerè oblitterari non posse, quibus Aula subinde plagarum nimbos decerneret. Ejusdem moris & oris videntur fuisse *Rustici*

*in Livoniâ, quos à Dynastis suis plus satis depalmari sciebat
Stephanns Polonia Rex. Cum itaq; tot verberû ærumnas mi-
tisfinarum legum novitate aut tollere aut diluere vellet, re-
sponderunt illi Corydones: se omnia potius perferre velle,
qvàm ut affectata novitate abolerentur verbera diu frequen-
tata. Verùm uti tales gestus & voces arguunt homines (uti Ti-
berius curia egrediens dicebat) ad Servitutem paratos: sic
negari non potest, genuinum illû & de quo jam loquebar *Af-
fectum* more Militis qvi suo Duci favet, more servi qvi suum
Dominum diligit, more Filii qvi Parentem suum amat, nullâ
Periculorum aleam, nullam *bonorum jacturam*, imò nullum
vita dispendium recusare aut deprecari. qvemadmodû enim
Brachia nostra anxie defendunt caput, nec renuunt pro excel-
lentissimâ corporis parte plagas excipere: Sic subditi Princi-
pum suorû amantes quibuscunq; discriminû eventibus sese
objiciunt & subjiciunt. Ne *Xerxes* cum oneratâ suâ nave in
Hellesponto tempestuoso periret, multi PERSÆ, Rege prius
adorato, perituri in mare desilierunt. Et quid non perpeffu-
rus fuisset ille in sacrarum historiarum monumentis notissi-
mus *Itthajus*? Nolebat hic veri subditi typus atq; exemplar
quiescere, cum Regem videret exilium eligere: ut Hierosoly-
mis maneret urgebat privata utilitas, suadebant amici, jube-
bat auctoritas Principis; at verò omnibus hisce rejectis, ex-
clamabat: Ut vivit J E H O V A, & vivit Dominus meus Rex,
tantummodò in loco illo ubi erit Dominus meus Rex, five
ad Mortem, five ad Vitâ, ibi futurus est servus tuus. O sanctis-
simum juramentum! ô generosam, & non tam valvis Delphi-
ci templi, qvàm pectoribus omnium civium inferendum ex-
emplum. Hæc enim quicquid est grave, facit leviculum: &
molle quicquid est durum; & proclive quicquid est arduum:
& jucundum, quicquid est molestum: & securum quicquid
est periculi plenum. Miramur sæpè quare Populus tam felici-
ter ad sui Regis exemplum componatur; sed non est ut cu-
riosius in causas felicissimæ *Imitationis* inquiramus, scilicet
laudatus subditorum Amor est similis Fonti Casiodori, qui
vocem, suspiria aliosqve motûs prope accedentium referebat.*

Nam

Nam imitamur quæ placent, placere autem solent ea quæ amantur. Pari modò cum Civitas *Principem sumptuosissimè splendidissimèq;* alit, & inter tot millia pauperum, inter tot myriades duro labore vitam tolerantium Eidem non ad necessitatem tantum, sed etiam ad splendorem, magnificentiam & recreationem abundanter omnia suppeditat, ita ut de industriâ Mercatorum, de vigiliis Artificum, de Sudore Rusticorum, de præmiis Militum aliquid delibetur, quò sua constet Principi commoditas & dignitas, quis non credat hæc ab *Amore subditorum* proficisci?

Jam puto, odorari quis posset, quare ARISTOTELES magni Principis magnus Præceptor tam frequenter inculcet Amorem erga Reipublicæ statum ejusq; Administratores: nimirum Respublica est quidam quasi Fornix triumphalis celsâ concumeratione suspensus. Uti autem illa moles non tam ferro quàm mutuo consensu lapidum, non tam calce quàm reciproca applicatione angulorum vincitur & sustentatur: eodè modo Reipublicæ structura tunc demùm rectissime est disposita, si Principem velut eminentem tholum omnes civés amplectantur, omnes colant, omnes observent, omnes diligant. Dilectionis autem hujus Fructum & Utilitatem uberius à me hæctenus demonstratam nemo melius compendifacere poterit, quàm *Seneca*, qui Romanum Principem informavit, imò (si Tacito fides adhibenda est) Romanus Imperator fieri debuit. Sic autem loquitur ille philosophus in libris de Clementiâ scriptis: Illius demum Principis magnitudo stabilis fundataq; est, quem omnes tam supra se esse, quàm pro se sciunt: Cujus curam excubare pro Salute Singulorum atq; Univerforum quotidie experiuntur. Quo procedente, non tanquam malum aliquod aut noxium Animal è cubili profiluerit, diffugiunt; sed, tanquam ad clarum & beneficum Sydus certatim advolant, objicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem Illi humanam iter ad salutem sternendum sit. Somnum ejus nocturnis excubiis muniunt, latera objecti circumfusiq; defendunt, incurrentibus periculis se opponunt, & se
suaq;

suaque jactant quocunque desideraverit Imperantis Salus.

Quæretis fortasse AUDITORES SPECTATISSIMI quomodo Princeps (cujus præcipuum opus est, Amicos parare) ad hunc *Amorem* tanquam ad aureum quoddam Vellus & verum Imperiorum Palladium pervenire possit? respondeo breviter, & quidem non tam meis quam Poëtæ *Ovidii* verbis, quem omnes pro felicissimo Amorum Magistro & Secretario habent:

Fallitur (inquit ille) Hæmonias si quis decurrit ad artes

Datq; quod à teneri fronte revellit Equi.

Non facient, ut vivat Amor, Medeides herba,

Mistaq; cum Magicis mersa venena sonis.

Sit procul omne nefas, ut ameris amabilis esto. Ergò Amor subditorum reciproco Principum Amore, velut quodam Magnete attrahitur, aut quâdam quasi Monetâ redimitur. Non potest amari, secundum *Panegyristen*, qui non ipse amat Princeps: & quod *TRAIANUS* amatus fuit, factum est ideò, quia amabat Cives, eo ipso etiam promeritus, ut amaretur à Deo. Profectò ille Princeps satis Politicus mihi videtur esse, qui Rempublicam suosque Cives, ut res suæ fidei commissas, ut *CHRISTI* sanguine redemptas, ut æterna Civitate donandas, diligit. O quàm multis regnandi Sophismatibus, quàm multis Imperiorum Arcanis, quæ fortè à *Clapmario*, *Septalio*, *Lentulo* & *Machiavello* tradita sunt, carere potest Princeps, si suos amat subditos. Amorem enim suapte naturâ ad regendos homines esse idoneum, evincunt Exempla fortissimorum virorum *Simsonis*, *Herculis*, *Salomonis*, *Marci Antonii*, qui certè nunquam obedivissent Fæminis, nisi intervenisset Affectus Amoris, cui etiam *primævorum Imperiorum* constitutionem quidam Politici assignant. Si Princeps suos amat aut certè redamat subditos, nullum est dubium, quin etiam eosdem omni *Clementiâ* profecuturus sit; at qualis quantaq; est hæc ad Amorem subditorum Scala! *Agasicles* Lacedæmoniorum Rex interrogatus, quo pacto quis nullo stipatus satellitio imperare posset, prudenter respondit: Si sic imperat suis, ut Pater Liberis, & (secundum *Symmachi* verba) suam clementiam

non

epist.

non secus ac Coeli spiritum & Diei lucem cunctorum votis ac factis communicat. Ubi autem Clementiæ Asylum commodè aperitur, nemo est qui de *Audientiæ facilitate*, novâ amandi occasione, dubitat. Provoco ad PHILIPPUM *Herodis M. filium*, quem vel ideò à suis amatum fuisse constat, quia iter facientem sella subinde seqvebatur, ut in eâ occurrentium miserorum causas cognosceret. Disparis ingenii erat WENZESLAUS *Ignavus*, qui subditorum preces supplices nec audiebat, nec aliâ voce solabatur, quam hæc: Si onera prægravant, abjicite: si nimium premunt, screeare licet. Deinde, quia etiam in subditorum Amore solent oculi duces esse, solerter non nulli suadent, ut Princeps *Sabæorum*, *Indorum*, & *veterum Gallorum* Reges neutiquam imitetur; sed subinde sui vultus ceu benigni fideris *Adspectum* popularibus concedat. Hæ tamen Amoris catenulæ non videntur tam arcè constringere aut tenere posse, quàm illæ *Liberaltatis*, quæ tam grata solet esse subditis, ut non solum *Plinius* in suo Panegyrico dicat, solis beneficiis Amorem subditorum confirmari, sed etiam *Seneca* intrepidè exclamet: melius Beneficiis imperium custoditur quàm Armis. id quod solertissimum *Romanæ Monarchiæ confirmatorem* intellexisse puto, cum Militem donis, Populum annonâ, Cunctos dulcedine otii pellexit. Annonæ meritisimò fieri debet mentio, quia solennis *Alimonie cura* valdè facit ad demerendum Populi Amorem, uti sufficienter indicat in epistolâ ad Theodosium Imperatorem *Symmachus*. Hinc etiam *Satyricus*, populi Romani vota & suspiria breviter summatimque delineaturus,

-- duas (inquit) tantum res anxius optat

Panem & Circenses. —

Circensium voce indicat non solum ludos in circo, sed etiam alibi forte exhibitos. quandoquidem etiam *Ludorum Indulgentia* amabilem reddit Principem, uti nervosè demonstrant duo Academia Lovaniensis lumina *Lipsius* atq; *Perezius*. Restant adhuc duæ incomparabiles conciliatriculæ Amoris popularis, nimirum (ut ex mente *Saavedra* loquar)

C

Reli-

Religio atq; Justitia. Quantum *Religioni* hoc nomine tribuere debeamus, subinnuit Lusitanus quidam scriptor, dum vocat Principis gloriam, Imperii firmitatem, Pacis firmamentum, & vitæ diuturnitatem. *Justitiam* verò non ignobilem Amoris matrem esse, videtur Ilionæus ille Trojanorum orator apud *Virgilium* indicare, dum Regem suum Didoni gratum & amicum reddere conatur his verbis:

Rex erat Æneas nobis, quò justior alter

Nec pietate fuit, nec bello major & armis.

Verum enim verò dum hæc ita meditor, & Amorem subditorum erga Principes pro virili ob suam Utilitatem commendo, viasq; & modos ad Eundem deveniendi indagare fatago, audio quendam ex *Hetruria Politicum*, qui contra meam; sed, quid meam? contra seniorum & saniorum *Pythagoricorum* mentem affirmare audeat, inutilem planè esse ac supervacaneum Amorem subditorum in Principes, quia multæ Urbes, multæ Provinciæ, multæ regiones & legiones hominum unico illo Terroris freno dirigerentur & servarentur. At quis non videt, quã turpissime tales Adversarii confundant Animos subditorum Belluinos cum Generosis, animos Imperantium Regios cum undiquaq; Tyrannicis? cum enim TURCICUM, MOSCOVICUM & TARTARICUM imperium non benevolentia sed violentia, non SALOMONIS PACIFICI manibus, sed velut REHABEAMI scorpionibus in ordinem redigatur & contineatur, cuilibet (beneficio quotidianæ Experientiæ) patefcit, illarum Nationum normam formamq; vivendi non posse omnibus promiscuè hominibus applicari: Quid enim ad nostros subditos, si quidam alibi vivunt subditi, quos merito ipsa servitute serviliores & non nisi *Cappadocibus* annumerandos esse conjicimus? Quid etiam ad Principes Christianos cum aliquis SULTANUS, aliquis CZAR aut CHAM ipsa tyrannide est tyrannior & non nisi Terrore animos subditorum in officio continere fatagit? quasi scilicet metus & terror essent firma vincula charitatis: quasi diuturnum esse posset, quod cogitur fidebusq; extorquetur: quasi scilicet non plus prodesset amari quam timeri? Multos Principes, inquit *Saavedra*, periisse vidimus,

dimus, quod timerentur; nullum adhuc quod amaretur. Uit enim, ex mente *Ovidii*, nemo temerè Hirundines aut Columbas trucidatas cupit; at Accipitres & Lupi semper in armis viventes cujuslibet odium & insidias merentur: Eadem ferè ratio militat apud Principes qui rapacitate Lupos quàm colūbas benignitate in subditos (ceu pullitiam suam) imitari malunt. Volunt quidam Terrorem illum potentiaē suæ tibiis stabilire; sed illi nescire videntur Tragicas illas tot potentiū Tyrannorum mortes, & verba *Maximino Thraci* occentata: Elephas grandis est, & occiditur: Leo fortis est & occiditur: Tigris fortis est & occiditur: cave Multos, si singulos nō times. Dum verò ab hoc Amore removemus Terrorem, minimè eodē impetu Reverentiam & Verecundiam ex sacro quodā horrore venientem proscribimus: Ipsimet quoq; prudentiores Principes popysmata cum minis, Mannam cum Virgâ, & more NUMINIS (in monte Sinai) musicam cū tonitruis conjungunt, ut hâc ratione amentur à Bonis tanquam eorum Conservatores, & metuantur à malis tanquam animatae legum Potestates. & hanc decisionem ipsi quoq; Imperatori SIGISMUNDO placuisse video. Cum enim satis seriò disputaretur, utrum melius esset Principem Amari, an verò Timeri à suis subditis? quia DEUS noster, inquit, & Amari & Timeri vult, quilibet de Principibus idem præsumere potest. Quia in confutandâ Politicorum quorundam hæresi hæctenus occupati fuimus, eadem operâ simul nō tam refellimus quàm despui- mus, non tam memoramus quam execramur illos subditos, qui immemores toties laudati Amoris, criminantur Magistratûs, laceffunt summas Potestates, & conspirant in coronata Principum capita, digni profecto, ut damnatae sint memoriae, Liberi que eorum æternis macerati miseriis, vocent verbis *Aurea Bulla* suam Mortem solatium, vitam verò supplicium. Melius fecere illi subditi, qui purissimo & in historiis adhuc radiante affectu suos persecuti sunt Principes: noti sunt MACEDONES, inde *φίλοβασιλείοι* dicti: noti sunt PERSÆ: noti sunt ÆGYPTI, LYDI, PARTHI, MEDI: nota est GALLIA, nota est LUSITANIA: nota est ex historiâ *Davidis, Simonis Maccabæi & Antio-*

M. 730 A

Antiochi Epiphanis ipsa PALÆSTINA. Et quid diutius evagabor: nonne nota est satis nostra GERMANIA? Fridericus III. Elector Palatinus, nec non Eberhardus Barbatuſ dux Wittenbergicus & Stephanus II. dux Bavariæ adeò à ſubditis ſuis ſe diligere & in ſinu ferri ſenſerunt, ut non ſemel profeſſi fuerint, ſe abſq; ullo periculorum metu in cujuſlibet ſuorũ ſubditorum ſinu dormire velle. O mirabilem principum confidentiam: mirabiliorem verò ſubditorum Amorem! hoc ipſo certè meruiſſent ſacræ apud Thebanos amantiũ catervæ inſeri, meruiſſent decantatis SOLDURIORUM nominibus ſolemniter adſcribi, merentur certè, ut Nos, quibus fortuna ſubditorum nomen & gloriam conceſſit, illorum veſtigia ſeqveremur.

Mihi certè horum aliorumq; Exemplorum ſeria meditatio nihil utiliſ nihilq; jucundius ſuggerere poteſt quam memoriam mei PRINCIPIS, Principis amabilis, Principis ob ſuas dotes Optimi Maximi. Et quia TUUM NATALEM, Sereniſſime FRIDERICE WILHELME, Celiſſime Dux Saxonie, Princeps & Domine clementiſſime hodiernus dies ſolemniter reduxit, adeoq; jã Annum Ætatis ſexageſimũ tertium, qui Climacter ſenum vocatur, & olim Johannem Electorem Saxonie Schveinizii, Martinũ Lutherum Iſlebiũ, Spalatinũ concionatorem aulæ Saxonie Altenburgi, alios alibi extinxit, vivẽdo & valẽdo ſuperaſti, ſubmiſſiſſimã voce NUMINI gratias nuncupo decentiſſimas: faxit autem Ejuſdem NUMINIS indulgentia, ut Eminentiſſimæ Domus SAXONICÆ Ruta ulteriores vigoris ſui ſucceſſũs ſentiat, nec marceſcat, ſed corroboretur potius tanquam Ilex aut Flamma adverſus ſabra hoſtilitatum & Invidiæ. Faxit DEUS ut laudatus laudandusq; mea Patriæ Pater, ſtirpis ERNESTINÆ generoſa propago, & lineæ ALTENBURGICÆ venerabilis SENIOR, unã cum SERENISSIMA CONJUGE, Dominã clementiſſimã, & PRINCIPIBUS JUVENTUTIS Corpore Menteq; vigeat, ſuũ Natalem iterũ iterumq; redeuntem Feliciter celebret, Amorem ſubditorum & Vicinorum ubivis deprehendat: & tandẽ, ubi cæleſtis Animus ſuã poſt longas annorũ moras in Divorũ concilio originẽ repetet, Ejuſ Facta & Fata poſteritati narrata ac tradita, fiant actuoſa ſemina Æternitatis!

F I A T!

M



re
or
us
in
lo
or
bi
if
if
oi
en

di
m
ob
re
a
co
m
em
nū
it
ias
in
te
ro
no
an
ro
nā
&
iū
eo
le
rū
ar

ULB Halle 3
004 975 529



561

1017





De
AMORE SUBDITORUM

erga

PRINCEPS

Orator
In

Natalem Sexagesimo

Serenissimo

PRINCEPS

FRID

VVILHELM

Ducis Saxoniae, Juliae

Landgravii Thuringiae, Marchionis

Principali Hennebergae, Comitatus

Dynastae in

ACADEMIA

Par

d. XII. Febr

memor

WOLFG. FRID



L I

LITERIS CHRIS



Fr. M. Nimmer